

capitulo residentes, & D. Henricum Aquensem Episcopum, & F. Stephanum de Valentia de ordine Humiliatorum secundi ordinis ministrum, & rectorem mansionis Humiliatorum de Aquis nomine ipsius ordinis, videlicet quod prædictus D. Henricus Aquensis Episcopus de voluntate capituli supradicti dant, & concedunt dicto fratri Stephano recipienti nomine dictæ mansionis Ecclesiam, & cimiterium libere, & absolute reddendo annuatim dicto Domino Episcopo per se, & successores suos in perpetuum pro censu libram unam incensi, & capitulo Aquensis canonice aliam libram in festo S. Mariæ medii augusti. Item de voluntate utrarumque partium statuunt, & ordinant, & volunt esse in perpetuum valiturum, quod prædicti fratres, qui nunc sunt, vel qui pro tempore fuerint in dicta mansione non possint, vel debeant sponfas, vel sponsum benedicere, mulieres a partu surgentes recipere, scapsellas, vel fustes imponere, vel deponere, peregrinis pœnitentias dare, nisi de licentia dicti Episcopi, neque communicare exceptis fratribus, & sororibus de ordine, sepulturas recipere, nisi forte aliquis agens in extremis ibi ex devotione eligeret sepulturam. In quo ita statuunt, & ordinant, quod si capitulum Aquense ibi fuerit præsens in exequiis mortuorum, ibi habeat duas partes oblationum omnium, & missam majorem, tertiam prædictis fratribus relinquendo. Et si contingerit, quod capitulum ibi non esset, prædicti fratres totam oblationem recipiant de mortuariis, custodi, vel nuncio capituli duas partes integre consignando, exinde duas cartas fieri rogarent. Interfuerunt testes D. Obertus Pavalionus, Henricus de Porta, Jacobus Oculibovis, & Jacobus Matarius. Ego Rogerius Not. S. P. &c.

*Collatio Ecclesiarum S. Nazarii, & S. Mauritii  
de Predasco facta ab Henrico Ep. Aquens.  
Lanfranco electo a clerico earum.*

217

M C C L V I I.

In nomine Domini nostri Jesu Christi. Amen. MCCLVII., indictione XV., die Dominica XIII. madii, in Castellotto Aquis presentibus testibus Magistro Pagano, Henrico de Tertio, Anselmo de Murbello in presentia D. Henrici Episcopi Aquensis, & de . . . . Anselmus Clericus Ecclesiarum S. Nazarii, & S. Mauritii de Predasco elegit, postulavit, & recepit Presbiterum Lanfrancum de Ovrano in ministrum, & rectorem dictarum Ecclesiarum. Unde idem Dominus Episcopus attendens quod . . . Lanfrancus sit utilis, & necessarius dictæ Ecclesie, jam dictam electionem, & receptionem confirmavit, ac ipsum Presbiterum Lanfrancum per baculum, quem in manibus habebat investivit de ipsa Ecclesia, & . . . & temporalibus Ecclesiarum prædictarum committendo, conferendo, & confirmando eidem presbitero administrationem, & rectoriam dictarum Ecclesiarum, ut ipse possit regere, agere, defendere, & gubernare dictam Ecclesiam. . . . temporalibus tamquam rector, & diligens minister . . . . de Aquis Publicus Notarius hanc cartam tradidi, & transcripsi de cartulariis . . . Ferrarii de Montemorisino Notarii, sicut ipsam imbrevisatam inveni nihil in ipsa addens, vel minuens,

quod mutet, vel variet . . . auctoritate mihi data, & concessa a majori consilio civitatis Aquis, & in fine me subscripsi (1).

(1) *Hæc investitura cum aliis bene multis fuit jussu Guidonis II. Episcopi Aquensis in publicam formam redacta ann. 1343. ob quæstiones juris patronatus cum monasterio de Prædalibus postmodum ibi ædificato.*

*Testatio, qua Fratres minores profitentur jus  
parochiæ S. Johannis spectare ad Capitulum.*

M C C L V I I I.

218

Anno Domini MCCLVIII., indictione I., die Lunæ IV. mensis januarii (1) in capitulo majoris Aquensis Ecclesie, presentibus D. Presbitero Willemo capellano dictæ Ecclesie, & Alberto Scota testibus rogatis. F. Bertolinus minister fratrum minorum in provincia Lombardiæ cum fratre Belengario custode Montisferrati, & cum F. Henrico Guardiano fratrum minorum de Aquis omnem pacem, & concordiam habere desiderans cum Capitulo Aquensis Ecclesie in presentia D. Dodonis Archidiaconi, D. Ottonis Archipresbiteri, D. Lotherii præpositi, Presbiteri Petri sacristæ, D. Bovonis, D. Oglerii, & D. Henrici canonici Aquenses, voluit, & protestatus fuit cum voluntate, & consensu fratrum dictorum, & cum voluntate dictorum canonicorum pro capitulo residentium, quod totum jus parochiæ S. Johannis libere pertineat ad dictam majorem Ecclesiam, & si aliquis aliquam elegerit sepulturam apud dictam Ecclesiam S. Johannis, & canonici fuerint invitati, habeant, & dicant majorem Missam, & totam oblationem recipiant in ipsa die prædictis fratribus data, & concessa parte oblationum, quas eisdem dictus Lotherius præpositus voluerit assignare. Si vero capitulum fuerit ibi præsens, tunc nuncius capituli, sive custos accipiat dictam oblationem, sicut supra dictum est; si vero contingeret dictum præpositum mori, post decessum ejus fratres supradicti possint alium eligere de capitulo dictæ majoris Ecclesie quem voluerint, qui eisdem de prædictis oblationibus partem debeat, quam voluerit assignare, & inde duas cartas fieri rogavit. Ego Bonusfilius Notarius.

(1) *Hic deest exeunte, alioquin error in numeris gravissimus erit. Dies enim quarta erat dies Veneris & in junio erat Martis dies.*

*Sententia declarans quandam possessionem Meladii  
clientelarem esse Ecclesie S. Mariæ de Aquis.*

M C C L V I I I.

219

Anno Domini MCCLVIII., indictione I., die Jovis X. januarii in claustrum Aquensis canonice presentibus D. An . . . . Benzone Judice Simone Barberio Amelio de Pusterna de Aquis, & Musso Grassi de Bistagno testibus rogatis. Petrus de Pusterna Arbiter electus, & constitutus a D. Lotterio Aquensi præposito ex una parte, & Tidi-xio Rosredo de Meladio ex alia, ut apparet per cartam factam per me infrascriptum Notarium, quæ sic incipit MCCLVII., indictione XV., die Veneris XVIII. octobris in platea majoris Ecclesie Aquensis presentibus Petro Ocha, Bonofilio Aquidei Bonifilii, & Simone Barberio testibus rogatis. D. Lotterius Aquensis præpositus nomine Ecclesie S.